Qui educit vinctos in fortitudine similiter eos qui exasperant: qui habitant in sepulchris. Deus cum egredereris in conspectu populi tui: cum pertransieris in deserto Terra mota est et enim celi distillaverunt a facie dei synai: a facie dei israel. Pluviam voluntariam segregabis deus hereditati tue: et infirmata est: tu vero perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi deus. Dominus dabit verbum evangelizantibus: virtute multa Rex virtutum dilecti dilecti: et speciei domus dividere spolia. Si dormiatis inter medios cleros penne columbe deargentate: et posteriora dorsi eius in pallore auri. Dum discernit celestis reges super eam nive dealbabuntur in selmon: mons dei mons pinguis. Mons coagulatus mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos. Mons in quo beneplacitum est deo habitare in eo: et enim dominus habitabit in finem. Currus dei decem milibus multiplex milia letantium: dominus in eis in synai in sancto. Ascendisti in altum cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus. Et enim non credentes.

inhabitare